



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Denuntiationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

DENUNTIATIONES.

Denuntiationes matrimoniales non possunt relaxari à parochio, sed ab Episcopo, Navar. *conf. 1. de cland. despons.* similiter à commendatario, vel Abbate titulari habente jurisdictionem Episcopalem, & qui est ordinarius, idem *in conf. 2. eo, tit. cætera de hac materia vide in ver: matrimonium, per multa, & de denuntiationibus faciendis in promotione ordinariorum, vide in ver. ordo, & denuntiando hæretico, vel sapiente de hæresi, putà necromanticis, strigibus, maleficis, vide in ver: hæretici, & in ver. absolutio. §. 10. remissivè.*

DEVOLUTIONES.

Primò, devolutio, quare fuit inventa? Secundò, quando incipit? Ad primum. Respondetur propter negligentiam, ignorantiam, & interdum avaritiam quorundam Ordinariorum, quorum defectui voluit supplere summus Pontifex, *c. 2. c. quàm fit, de elect: l. 6. c. ne pro defectu, de elect. c. unico, ut beneficia, &c: cum alijs vulgatis, Rebuff. in tit: de devolut. num: 8. sicuti à simili dicitur de præscriptione; ne dominia rerum sint incertum, l. 1. si: de usuc: Host. in sum: tit: de præscript: §. introducta, numer. 2.*

Ad Secundum, non à die vacationis, sed à die notitiæ, vel à die, qua scire debuit, vel potuit collator,

c: quia diversitatem, de concess: præbend. capitul: unico, de jure patronat: libro 6. cap: licet, de suppl. negl. prel. Roc. 263. in antiquis, qua incipit, Si propter, & dixi superius in ver. jus patronatus, §. 8. dub. 6. Rebuff. de devol: numero dec.

DEPOSITUS.

Depositio duplex, verbalis, & realis, quæ degradatio dici potest. Depositus verbaliter, & condemnatus ad triremes ad tempus, vel ad vitam, vel realiter ad mortem, & postea evadit à triremibus, vel à morte, an possit restitui ab inferiori à Papa, *gl. in c. clerici, de cler: excom: dicit quòd non, nisi sententia sit injusta, sed cap: ideo, 2. q: 6. &c: si quis 7. q: 1. & Pan. in d: c: clerici, dicunt quòd sic, vide in ver: degradatio.*

DIGNITAS.

Primò, quæritur, quot sint dignitates ecclesiasticæ? Respondetur, quòd multæ, Papatus, sive summi Pontificatus, sive maximi Pontificij, Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Primiceriatus, Præpositatus, Thesauriatus, Cantoratus, Decanatus, Prioratus, Cellariatus, Geminiarchatus, Guardianatus, & Prioratus mendicantium, Bibliothecariatus, Abbas, & multa alia nomina, de quibus non potest dari certa regula, prout *in cap: 1. de consuet: lib: 6. Io. de Selua tract: de benef.*